

Theriace prima

CLXV. Theriace facit ad omnium serpentium morsus et ictus et adflatus mirifice; eadem prodest et ad contusiones et ad convulsiones interiorum partium laterisque ex qualibet causa et pectoris dolores: vitis albae radicis pondo octo, trifolii acuti seminis, quod et ipsum in extremo aculeum habet, vel eiusdem radicis p. III, panacis X p. IIII, terrae mali X p. V, roris marini radicis X p. IIII, laseris X p. IIII, zingiberis X p. IIII, rutae silvaticae X p. VI, cumini Thebaici X p. III, myrrhae X p. III, cumini Aethiopici X p. V, castorei X p. III, eryngii radicis X p. III, serpulli X p. III, ervi albi seminis moliti X p. XII. Chio vino consperguntur contusa ac trita; fiunt pastilli pondere X unius aut victoriati. dantur ex vino mero vetere vel ex mixto vel ex aqua: quae si non fuerint, per se commanducandus erit pastillus et devorandus.

Theriace secunda

CLXVI. Alter pastillus ad eadem facit: cinnami X p. IIII, serpulli X p. IIII, staphidos agrias (quam herbam pediculariam quidam vocant, quod pediculos necat, a quibus hoc nomen trahit) seminis X p. III et victoriati, piperis albi X p. VI, peucedani lactis X p. VIII et victoriati, glycyssidae nigrae seminis, quam paeoniam Graecorum quidam appellant, X p. I et victoriati, terrae mali X p. III, nasturci seminis X p. IIII, cach-
ryis X p. II et victoriati, castorei X p. II, saliucae X p. V ***

<CLXVII. Altera theriace etiam ad aspidem

Deest

CLXVIII. Ad viperae morsum proprie

Deest

25